primariis hujus tragœdiæ instrumentis. Omnibus jam pro capiendis cibis & mensâ paratis ingrediuntur Matronæ Gochenses, Fiscalem humanissimè salutant, de prospero adventu gratulantur, & Justitiam implorant; addunt insuper: Si maritos nostros pravitatis convincere poteritis, secundùm leges puniantur; verùm idipsum in æternum non probabitis. Respondet Fiscalis: Contentæ estote, Justitia vobis administrabitur. His auditis abierunt. Circumstantes, inter quos Lambertus Charles, & Petrus Ceporinus ne vel verbum mussitabant; verùm adeò rugosam & torvam frontem exhibebant, ut ex lineamentis vultûs liquidò pateret internus animi affectus. Ne verò Lambertus Charles ulterius alloquium à Matronis sustinere cogeretur, posterâ die domicilium mutat, & aulam eligit, & spargi curat se morbo articulari vel podagrâ detineri; verùm hîc indies susurrones isti cum Textore sua conventicula celebrabant, deliberantes, quidnam Textori ad interrogata respondendum foret. Consiliarii Regiminis Ducatûs Clivensis Consessum Aulicum desuper interpellant, dicentes: Hæc negotia ad nos pertinent, quia Cliviæ subditi sunt. Respondet Aula: Quid ad nos. Res istæ jam in manibus Gubernatoris versatæ fuerunt. Ecce quomodo Gubernator iste plurimos in suas partes traxerat.

CAPUT XXVII.

Minantur Matronis linguarum perforationem candentibus cuspidibus.

IN summa, res eò devenerat, ut nullibi vel umbra solatii aut liberationis appareret; quare solo di-

vino auxilio confisæ Matronæ totum negotium Domino Deo, ejúsque protectioni commendabant; Amicos interim quærentes tales, qui adhuc boni & impartiales putabantur; Fiscalem sæpius in Hospitio invisunt, & prout res se ex fundamento habebat, remonstrabant, attestata desuper levata, nec non retractationem Petri Exken Xantis factam adjungentes, ita ut Fiscalis sæpe auditus fuerit in hæc verba erumpere, linguâ quamvis Belgicâ: Hæc accusatio ita se non habet, sicut mihi imponitur, cæteroquin istæ mulieres tam audacter & alacriter non comparerent. Verùm hanc Fiscalis mentem proditores subvertere hisce verbis conabantur, dicentes: Maritos multa facere absque præscitu uxorum, & Matronas de importunitate loquendi accusant. Advolat quoque Clivos valetudinarius, & confectus senio Scabinus Casparus ab Heucklum pater captivi Theodori, visurus, num quidpiam pro filio fructificare posset: accedit quendam Consiliarium Aulicum modò in proditorum partes raptum, & dum pro captivis fundamentaliter perorat, hoc responsum capit: *De Wyver gaen soo klappen, en verergeren de Saeck; het waer goet, dat ghy se waerschowde, dat sy den muyl hielen, want daer is geseyt, soo sy dat klappen niet en laeten, soo sal men se gloyende priemen door haere tongen booren.* Tale solatium dabatur bono isti seni, qui desuper non leviter perplexus filiæ suæ Theodoro nuptæ idipsum revelat, rogans: ut aliquo tempore supersedeat, & concepto furori morem gerat. Verùm Petronella respondit: Pater dilectissime, hîc latet anguis in herba, hunc nodum libenter constrictum tenerent, ut taliter nobis tacentibus Maritos nostros velut innocentes Agnos ad lanienam & carnificinam per-

perducere possent: verùm vitâ comite, & viribus adhuc integris veritatem non silebo. Rapiant me in vincula, linguam perforent, corpusculum castigent, potestas eisdem est in membra, non in animam; & tamen sicut Christus Dominus in sua passione dicit: non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper; sic & mihi eveniet, majora supplicia mihi infligere non poterunt, quàm ex permissione Dei, cui me & mea cum plena resignatione committo.

Quoniam bono modo non poterant Matronas sicut istum fabrum Anabaptistam in carcerem rapere aliam viam investigabant, nihil aliud quærentes quàm taciturnitatem, quâ per minas fortè obtentâ clanculò personam suam agere, & ferali scenæ præfixum epilogum imponere possent. Verùm Matronæ his nihil territæ omnia possibilia defensionis media constanter arripiunt: conducunt inprimis duos Juris utriúsque Doctores Regiminis Clivensis Advocatos: verùm hi tam scrupulosi, & anxii erant, ut vix attestata & revocationem Petri Exken Supplicæ adjungere ausi fuerint, dicente seniore: se propter mille Imperiales dedecus carceris desuper sustinere nolle. Verùm Junior tandem Supplicam expediit; talem terrorem hoc inhumano procedendi genere proditores isti animis honestis incusserant, ita, ut etiam quodam tempore quo Petronella Exken, & uxor Consiliarii Voest quendam Consiliarium Aulicum obviàm habuerant, & eidem loqui desiderarent, Consiliarius ille metu secuturi mali silentium indixerit, & se quantocyus subtraxerit. Consueverat quoque quidam Capitaneus Gubernatori perquam notus sæpe domi Domini Voest conversari, huic dum

uxor Voest immanem procedendi modum exprobrat & dicit, ex tota Civitate Clivensi neminem nisi suum maritum captum; ait Capitaneus: Maritus vester adhuc ex minimis est. Interrogat uxor: quinam igitur sunt summi. Respondet Capitaneus: ad quos sors nondum pervenit; brevi sequentur; hisce indigitans Nobilitatem, quam etiam huic tragœdiæ immiscere conabantur. Veruntamen homo proponit, Deus autem disponit.

CAPUT XXVIII.

Matronæ Excellentissimo Comiti de Swartzenburg Supplicam offerunt.

HAbitâ jam longâ inter Advocatos deliberatione, & altercatione tandem Supplica completur, movetur autem quæstio, cuinam tradenda sit? dicit Petronella: quem vos vultis, & optimum judicatis. Ego idipsum in me suscipiam. Concludunt tandem Comiti Swartzenburgico offerendam. Accedit ergo prænominatum Comitem Petronella cum tribus principalibus Captivorum uxoribus, & impetratâ audientiâ tradunt humillimè precantes, quatenus officium boni Patroni agere dignaretur. Omnibus hoc modo exhibitis & constitutis ex fundamento innocentiam maritorum aperiunt, addentes nullam causam subesse, quàm odium Catholicæ Religionis, & in perpetuum & in fine hujus procedurae alia ratio non invenietur. Dicit Comes, si se ita res habeat, nec ego securus sum, quia ejusdem professionis, & similiter mihi tractu temporis contingere posset. Respondet Petronella: si taliter procedatur sicut cum Maritis nostris, Excellentia vestra iisdem fortunæ casibus obnoxia